



The Holy See

LEO PP. XIV

EPISTULA DATA

LADISLAO S.R.E. CARDINALI NEMET, S.V.D.

Venerabili Fratri Nostro

LADISLAO S.R.E. Cardinali NEMET, S.V.D.

Archiepiscopo Metropolitae Belogradensi

Plocensis communitas dioecesana, voluntate Decessoris Nostri s. Gregorii VII, pastoralibus prospicientis necessitatibus, anno MLXXV condita, grato animo tum Annum Sanctum cum Ecclesia universa celebrat tum CML suae fundationis anniversariam memoriam. Praeclarus ille Pontifex legatos suos misit ad principem Polonum Boleslaum II, missionem iis concredens structuras ecclesiasticas ordinandi in territorio iuvenis Status Poloniae plus quam C ante annos sacrum Baptismum experti. Instituta illo tempore dioecesis, Masoviensis appellata, magnum amplectebatur territorium in quo, saeculorum decursu, multae aliae sunt conditae ecclesiae particulares.

Plocensis Ecclesia, inter antiquissimas Poloniae sedes episcopales annumerata, alta fide sanctitateque vitae multorum Pastorum fideliumque nec non Ecclesiae universae dilectione clare eminuit. Dilecta illa Masoviae terra vitam navitatemque noverat s. Stanislai Kostka, patroni parvolorum et iuvenum, s. sororis Faustinae Kowalska, praeclarae Divinae Misericordiae apostolae nec non beatorum Episcoporum Antonii Iuliani Nowowiejski et Leonis Wetmański, alterius mundani belli martyrum.

Alius Noster praeclarus Decessor, s. Ioannes Paulus II, Plociam mense Iunio anno MCMXCI invisit; Sanctam Missam in platea prope stadium sollemniter celebravit, illos qui in custodia tenebantur verbis consolationis salutavit atque ritui devotionis erga Sacratissimum Cor Iesu in antiqua cathedrali prope Vistulam pulcherrime posita praefuit.

Sicut accepimus, pontificatum Nostrum fidenti animo incipientes, proxime Ecclesiam Plocensem praecipua celebraturam esse dicti iubilaei eventa. Hanc ob rem Venerabilis Frater Simon Stułkowski, Episcopus Plocensis, humanissime Franciscum papam, nunc bo. me., rogavit ut aliquem eminentem Pastorem mitteret, qui vices Romani Pontificis Plociae gerere eiusque erga istam communitatatem dilectionem manifestare posset.

Nos libenter, Praedecessoris Nostri voluntatem sequentes, te, Venerabilis Frater Noster, qui pergrave munus Archiepiscopi Metropolitae Belgradensis exerces quique cum nobili Poloniae populo singulari vinculo adstringeris, hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum confirmamus ad CML anniversariae memoriae institutionis Dioecesis Plocensis celebrationem, quae Plociae die VII proximi mensis Iunii adimplebitur.

Sollemni praesidebis Eucharistiae atque Pastorem Plocensem aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque congregatos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad diligentiores etiam Christi vitae imitationem in cotidiana vita cohortaberis, amorem erga Evangelium Christi eiusque Ecclesiam, orationem pro vocationibus ad sacerdotium et vitam consecratam. Oportet unusquisque, suae ipsius vocationis conscientia, sententiam s. Stanislai Kostka: "Ad maiora natus sum" recolens, etiam hoc difficulti tempore pulcherrimum vitae christiana perhibeat testimonium.

Nos autem te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitantes, tibi Benedictionem Nostram Apostolicam libentes impertimur, signum Nostrae erga te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Maii, in festo s. Andree Bobola, Poloniae Patroni, Anno Sancto MMXXV, Pontificatus Nostri primo.

Leo PP. XIV